PRAELECTIONES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCV
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCVI.

HABENDAE

INDICUNTUR

A

RECTORIS VICARIO ET SENATU ACADEMICO.

VILNAE
TYPIS JOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

B. STANISLAUS JUNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D. Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars. nec non Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, juxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora II ad IV^tae^ dimidium.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. Doctor, Collegiorum a Consil. Reg. Soc. Litt. Varsov. Sodalis, Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa nuper a se edita, novisque demum observationibus ac recentissimis experimentis aucta, in Laboratorio chemico exponet, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI dimidio ad XII ordine sequenti. Expositis primis Chemiae universae principiis, exponet primo theoriam ac leges affinitatum; tum tractatum de luce ac calorico; unde doctrinam generalem de fluidis aëriformibus ac de solutione derivabit. Quam expositionem tractatus de corporibus simplicibus seu non-decompositis, tam solidis quam aëriformibus, in specie excipiet. Ex propietatibus vero gas oxygenii theoriam combustionis deducet; qua exposita, mox aget de corporibus combustis, quae in oxyda acidaque perfecta et imperfecta dividet, eorumque proprietates singulatim indicabit. Dein de acido muriatico simplici oxygenato ac superoxygenato disseret, recen-

tissimasque de eorundem natura opiniones scrutabitur. Simili ratione naturam alcalium ac terrarum examinabit, recentioraque experimenta, quae ea oxydis metallicis adnumerare suadent, enucleabit. Quibus absolutis, immorabitur aliquantum doctrinae de corporibus salinis, historiamque ac proprietates metallorum uberius exponet. Postremo Chemiam substantiarum organicarum aggredietur, expositisque generalibus principiis, de earundem analysi, differentiis, qualitatibus, usuque technico, oeconomico ac medico fusius disseret.

THOMAS ŻYCKI Phil. Doctor, Matheseos Professor P. O. diebus Lunae et Iovis ab horae VIII. matutinae dimidio ad IX, diebus vero Martis et Veneris a IX. ad XI^{mae} dimidium, docebit primo Algebram includendo omnes eius partes. Cuius principia in scholis iam tradita, succincte, explendi cursus causa, exponet, eas solummodo partes explicaturus, quae scholis omittuntur, attamen in universa Mathesi permagni sunt momenti. In sublimiori vero Algebra tractabuntur: permutatio et combinatio, formula Newtoniana, simulque eius demonstratio et usus; extractio radicum ex altioribus potentiis, natura aequationum, limites radicum, transformatio, eliminatio, radices aequales, commensurabiles, incommensurabiles, imaginariae, aequationes è duobus aut tribus terminis compositae, radices functionum cum incommensurabilibus complicatarum, aequationes tertii quartique gradûs, aequationes sic dictae numericae, fractiones continuae, in quibus propositiones generales; determinatae et indeterminatae aequationes primi itemque secundi gradus; atque etiam aequationes numericae. Postremo coëficientes indeterminati, ubi post resolutionem fractionum commensurabilium in suas partiales, exponentur series recurrentes, methodus inversa serierum, item series exponentiales et logarithmicae, denique series e circulo ortae. Alteram huius praelectionis partem constituet applicatio Algebrae ad lineas, seu, ut recentioribus placet Mathematicis, Geometria analytica, ubi non solum lineae secundi ordinis, sectionum conicarum nomine insignitae, sed etiam aliae iam mechanicae, iam transcendentes dictae explicabuntur. Deinde, ne praeter calculum differentialem, integralem et variationum, aliquid desit ad complendum purae Matheseos cursum, notitia superficierum et linearum duplicis curvaturae subiungetur.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI Phil. D. Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII dimidio ad IX, exponet principia Calculi differentialis, nec non regulas differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, atque usum ejusdem in

inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Absoluto calculo differentiali, perget ad Calculum integralem, ubi tractabit 1) de integratione functionum unius variabilis, qualescunque hae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2) de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, ubi agetur praecipue de separatione variabilium, de inveniendo factore, ope cuius aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, de solutionibus particularibus; 3) de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit methodum Variationum, cuius latissimus est usus in Mechanica coelesti et analytica. Peracto iam cursu calculi differentialis et integralis, tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelograma virium ac leges motus, ope analyseos exponet.

CAIETANUS KRASSOWSKI Phil.D. Universitatis Adiunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XI^mae^ dimidium, cursum Physicae generalis explicaturus, praemissis notionibus de generalibus corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae et Dynamicae solidorum et liqui dorum in genere: quibus absolutis, sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aëre, Electricitate et Magnetismo: tum ultimo loco veniet doctrina de Luce, quam per singulas eius partes accurate exponendo, Physices hunc cursum conficiet.

FELIX DRZEWINSKI Phil. D. cursum Mineralogiae traditurus, die Solis ab hora II ad IV pomer. diebus autem Merc. et Sat. ab horae III dimidio ad IV pomer. enarrata breviter scientiae huius historia, indicabit characteres fossilium, disseret de characteribus externis, exponet methodum Wernerianam designandi formas crystallorum. Porro explicabit systemata mineralogica Cl. VV. Werneri et Haüy, atque ad indicanda fossilia simplicia accedet, percensebitque secundum systema Wernerianum cuiuslibet characterae externos et chemicos, situm in terra, utilitates et nomina, quius a celeberrimis Mineralogiae magistris insigniuntur, ac perfecta omnium specierum exemplaria monstrabit. Finita Oryctognosia, perget ad Geognosiam, et Wernerianum systema passim secuturus, describet classes atque species petrarum, simulque componentes earumdem partes enarrabit. Exponet deinde formas, in quibus magnae fossilium moles reperiri solent, nempe strata, venas etc. fossilium, atque opiniones recentiorum mineralogorum, quoad eorum formationem, indicabit. Postremo aget de petrificationibus, ostendetque ubi illae reperiuntur, cur organica corpora inter fossilia miscentur, et quo-

modo indurescunt? Totum Mineralogiae cursum tradet duce Cl. Brochant, multas tamen suppeditabunt notiones praestantissima opera Cell. VV. Haüy, Brongniart, Severgin et Fischer.

VINCENTIUS KARCZEWSKI Phil. Mag. diebus Lunae et Jovis ab horae VIII^{vae} matutinae dimidio ad IX, diebus vero Mercurii et Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII^{mae} dimidium, Cursum Astronomiae a Trigonometria sphaerica analytica incipiet. Notionem sphaerae et circulorum in ea, ad positionem astrorum stabiliendam facientium, exponet. Sequetur explicatio fabricae et usus instrumentorum astronomicorum, notio et divisio temporis. Usum Trigonometriae sphaericae in resolvendis problematibus astronomicis, positionem astrorum spectantibus, docebit. Motum terrae diurnum et periodicum circa solem, phaenomenaque inde pendentia ac totius systematis mundi ordinem enucleabit. Naturam et calculum refractionis, parallaxeos, praecessionis, aberrationis et nutationis aggredietur, distinguetque motus et positiones astrorum apparentes a veris. Disseret de catalogo astrorum, quidque in eo construendo servandum. Perget ad explanandos motus planetarum primariorum et secundariorum, et ad investigandas eorum positiones heliocentricas et geocentricas: in elementa orbitae cujusvis Planetae inquiret, adiuncta methodo eruendi loca Planetarum ex elementis suarum orbitarum. Eclipsium solarium et lunarium doctrina absoluta, usum Astronomiae in Chronologia et in construendis horologiis solaribus monstrabit.

Diebus Mart. Jov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII Topographia tradetur, methodusque delineandarum geometrice positionum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accomodata, exponetur a Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

JOANNES ANDREAS LOBENWEIN Med. et Chir. Doctor, Coll. a Consil. Caes. Acad. Scient. Petropolit. Collegii Praefectorum rei medicae, Caes. Acad. Medico-Chir. nec non Societ. Medico-Philantrop. Petrop. Sodalis; Ordinis Medici hac in Universitate Decanus, Anatomiae humanae et Medicinae forensis Prof. P. O. Anatomiam pertractabit diebus Martis et Veneris ab hora IX ad XI^{mae} dimidium, diebus vero Mercurii et Saturni ab XI^{mae} dimidio ad XII.

Idem praelectiones in Medicinam forensem instituet diebus Mercurii et Saturni ab hora III. pomeridiana ad IV.

AUGUSTUS BECU Phil. et Med. D. a Cons. Aul. Ordinis S. Vladimiri IV. classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Jov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^mae dimidium, exponet cursum Pathologiae generalis et specialis, sua Elementa secuturus; quo non interrupto, mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accomodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDUS SPITZNAGEL Med. et Chir. D. Colleg. a Consil. Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae medicae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI matut dimidio usque ad XII. Cursum praelectionum incipiet a Therapia generali, quacum Materiam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali docebit singula corpora medice plus minus usitata, fusius vero interpretabitur illa, quae in potioribus Europae Pharmaciis, maxime vero illa, quae in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoeia castrensi Ruthenica asservata prostant. Cursum absolvet Toxicologia seu cognitio venenorum: illorum noxa, antidota, et si quis est illorum usus medicus, indicabitur.

JOSEPHUS FRANK Phil. et Med. D. Coll. a Consil. Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O. quotidie ab horae IX dimidio ad X^mae dimidium, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis adaptabit, tradetque sexies per hebdomadam ab horae X^mae dimidio ad XI^mae dimidium, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad febres et morbos cutis, sensuum, cerebri, medullae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum, cordis, vasorumque sanguinis circulo dicatorum, spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V. ad VI. vespert. observandis.

JOANNES FRIDERICUS NISZKOWSKI Med. et Chir. D. Schol. Med. Parisiensis et Montispessul. nec non Societ. Ital. Sodalis, Chirurgiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae III dimidio ad IV tractabit de morbis externis, iis praecipue, in quibus persanandis dextra Chirurgi manus requiritur. Quocirca et operationes chirurgicas in subiectis mortuis, aut etiam vivis, sub tironum oculis demonstrabit, et eorum manum ad necessariam pro omni chirurgo encheiresin moderabitur. Tempore aestivo exponet doctrinam de morbis ossium, a causis tam externis quam in-

ternis oriundis, cui subiunget tractatum de fasciis et usitatissimis machinis, quae vel ad reponenda ossa luxata, vel ad consolidanda fracta, vel denique ad curanda membra tortuosa, proponuntur. Praeterea quotidie ab horae VIII matut. dimidio usque ad IX^{nae} dimidium et hora VI vespertina, non deerit practicis in Clinico chirurgico exercitiis, ubi provectiorum in arte operationes chirurgicas et curam aegrorum peculiari instructione moderabitur.

ANDREAS MATUSEWICZ Phil. et Med. D. Artis Obstetriciae Prof. P. O. eiusdem Artis cursum theoretico practicum peraget diebus Martis et Vener. ab hora IX usque ad X et dimidium coram feminis obstetricibus; diebus autem Mercur. et Sat. ab horae VIII dimidio usque ad IX coram viris. Quod attinet clinicas exercitationes in Instituto Obstetricio suscipiendas, his non solum omni data occasione non deerit, sed ad conservandum quoque illarum ordinem, tempus pro quotidiana visitatione ab hora IV ad V pomeridianam indicat.

LUDOVICUS HENRICUS BOIANUS, Med. et Chir. D. Ord. S. Vladimiri IV cl. Eques, Caesar. Acad. Scient. et Medico-Chir. Petropolit., Societ. nat. curio. Mosqu. al. q. Soc. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1) Diebus Lun. Mart. Iov. et Ven. ab hora II^{dae} dimid. ad III. Veterinariae Medicinae doctrinam tradet. 2) Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, atque in usum praelectionum vertet, quantum ex illis hisce idoneum videbitur. 3) Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, zoophytorum, vermium intestinorum, insectorum, arachnoidum animalium, crustaceorum, vermium exterorum, molluscorum, piscium, reptilium, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; succurendo, ubi necessarium fuerit, adumbrationibus ad tabulam nigram depingendis.

JOANNES WOLFFGANG Phil. D. a Cons. Aul. Reg. Soc. Oecon. Vars. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lunae, Mart. et Iovis. ab hora II pomeridiana ad IV dimidium, tractabit doctrinam de pharmacis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua cuiuslibet producti naturalis ac usum medicum destinati exponet characteres, indolem, patriam, tempus et rationem acquirendi vel colligendi, nec non conservandi; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corruptis et falsis distinguere licet. In doctrina de medicamentis compositis seu Pharmacia, expositis inprimis iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Im-

perii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet in specie praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus instituet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut omni in casu bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI Phil. Med. et Chir. D. Physiologiae Prof. P. E. diebus Martis et Iovis ab horae VIII matutinae dimidio ad horam IX, die autem Veneris ab hora VIII ad IX, duce libro Prof. Andreae Sniadecki explicabit Physicam corporum organicorum in genere; hac vero absoluta, transibit ad Physicam organismi humani, seu Physiologiam hominis in specie. Doctrinam ejusmodi iam fusius pertractans, non negliget subiungere novissima experimenta clarissimorum virorum, qui in concipiendis vel explicandis functionibus organicis nostris temporibus quam maxime inclaruêre.

VINCENTIUS HERBERSKI Med. D. Universit. Adiunctus, laboribus studiosorum in nosocomio clinico, qua adiutor Professoris Clinices, proximam curam impendet.

ANTONIUS KIERSNOWSKI Med. Cand. Anat. Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Iovis post meridiem ab horae III dimidio ad h. IV dimidium; diebus autem Mart. Mercur. Iov. et Satur. ab hora IV usque ad VI vespert. studiosorum operam in dissectionum anatomicarum exercitiis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM SCIENTIARUM ETHICO-POLITICARUM.

JOANNES HENRICUS ABICHT, Phil. D et Prof. P. O., praemissis de Philosophia omnino monitis, Psychologiae partem illam, quae animae vires harumque naturam legesve explicat, ex libro a se edito: Initia Philosophiae proprie sic dictae, perlustrabit, ut auditores totius Philosophiae principium habeant. Dein 1) Logicam seu Dialecticen, de veritatis investigandae ratione, vel, si malis, de mothodo philosophandi praecipientem; et 2) Philosophiam practicam eamque universalem, quae naturam hominis moralem aperit, ideoque de finibus bonorum et malorum, de libertate animi, de principiis officiorum, debitorum et iustitiae,

virtutis etiam et sapientiae rel. disserit, ex commentariis suis tradet. Has vero praelectiones sexies per hebdomadam ab hora IV ad V et dimidium usque ita instituet, ut post istam Psychologiae partem finitam, ter per septimanam in Logices, et ter in Philosophiae practicae expositione versetur, simulque exercitationes commilitonum logicas dirigat.

SIMON MALEWSKI Phil. et Iur. Civ. D. Colleg. a Cons. Ordinis huius Decanus, Iuris Naturae et Gentium Prof. P. O. diebus Martis, Iovis et Satur. ab horae VIII matut. dimidio ad IX, Mercurii autem et Veneris diebus ab hora VIII ad IX, docebit Ius naturae, Ius naturale politicum et Ius naturale gentium: explanaturus his tractratibus ea omnia, quibus societates humanae, civiles et politicae, stabiliuntur; speciatim vero immorabitur deducendis principiis iustitiae atque obligationum socialium: ducibus Compendiis Godofredi Achenwall latino et Hieronymi Stroynowski vernaculo sermone ad usum auditorum typis vulgatis, quibus celebriorum auctorum placita subiunget.

ALOISIUS CAPPELLI Phil. et Iuris Utr. Doctor, Juris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum gentium, nec non Juris Canonici Prof. P. O. diebus Martis et Veneris ab horae XI dimidio ad XII, in Elementa Juris Civilis secundum ordinem Institutionum a Cl. Heineccio adornata et a Frid. Hoepfner recognita commentabitur, haud praetermissis, quae ad historiam et litteraturam Juris pertinent. Diebus vero Mercurii et Saturni, hora eadem, de delictis eorumque poenis sigillatim acturus, in illis ordinandis distributionem secundum habitum eorum ad Rempublicam, prout hanc vel immediate vel mediate laedunt, a Cl. Meistero observatam, utpote planam, facilem, et ex ipsa criminum indole depromptam, retinebit.

Idem Diebus Lunae et Jovis ab hora XI ad XII. J. Vincentii Gravinae, celeberrimi quondam in Romano Archigymnasio Antecesssoris, Institutiones Canonicas tradet, simulque primarium et uberiorem Canonem in qualibet praelectione allegatum explicabit, tum ut assuefaciat auditorum aures ad ecclesiasticum stilum, tum ut eos a fonte suo Juris doctrinam petere doceat. Nec omittet exponere capita illa Sacri Concilii Tridentini, quibus Jus vetus forte mutetur; et cum ad Sacramenta venerit, praeter Canonicas Institutiones eam Catechismi Romani partem interpretabitur, quae rem sacramentariam comprehendit.

JOANNES CZERNIAWSKI Phil. D. Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. res gestas Rossiae, diebus mercurii ac Veneris ab hora matutina IX ad X. ad filum suum ordine pertractabit.

JOANNES ZNOSKO Phil. D. Reg. Societ. Litter. Varsov. Sodalis, a Consil. Aul. et Universitatis a Litteris, Oeconomiae politicae, Prof. P. E. diebus Lunae ab hora VIII ad IX. Martis vero et Veneris ab hora IX ad X et dimidium, 1) Oeconomiam politicam proprie sic dictam; 2) doctrinam de reditibus publicis, ad Compendium vernaculo sermone a se vulgatum tradet, theoriam Adami Smith potissimum secuturus, eamque recentiorum in hac scientia scriptorum opinionibus, ac disquisitione diversorum in ea pertractanda systematum, illustraturus.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ Phil. et Theol. D. Can. Camenecensis, Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. cursum lectionum inchoaturus, Theologiam diebus Lunae, Martis et Mercurii, ab horae VIII. dimidio ad IX., Historiam vero diebus Iovis et Veneris ab hora VIII ad IX tradet. In utroque argumento a prolegomenis seu introductione facto initio, ad summa harum disciplinam capita pertractanda accedet, tantamque eorum partem evolvendam sibi proponit, quantam unius anni feret spatium. Qua in re, ne auditores sui mole voluminum percurrendorum obruantur, neve in comparandis grandioribus libris sumptus, aut in describendis tempus a lectione subtractum impendant; melius consultum credit, pro quotidiano in scholis usu adhibere recentissimos auctores, in Theologia nempe Engelbertum Klüpfel, novo rerum apparatu, ordine ac inprimis perspicuitate commendatum, in Historia vero Xaverium Gmeiner, quorum ille è vicina Germania, hic apud Presbyteros Congr. Miss. Vilnae reimpressus, facile comparari poterunt. His porro compendiis si quae desint, ea ex abundantiori aliorum scriptorum penu, qui tam in historico quam in theologico genere excellunt, et apud omnes notissimi sunt, promere ac suppeditare tenebitur.

IOANNES CANTIUS CHODANI Theol. D. Theologiae Moralis ac Pastoralis Prof. P. O. praemissa doctrina de Theologiae pastoralis indole, fontibus, necessitate atque historia, de munere docendi virtutem ac religionem generatim amplius disseret; dein viam ac rationem populum sacris operantem publice instruendi per catecheses, sermones sacros ac homilias, non modo theoriae ac regularum ope, sed etiam ipso usu et praxi docebit; atque prudentiae pastoralis praecepta circa instructionem privatam, ad status diversos resque circumstantes fidelium accomodatam, tradet. Tandem alteram officiorum pastoralium classim, quae ad cultum externum religionis refertur, enucleabit; nec non de dotibus animarum pastori necessariis, prudentique vivendi et agendi ratione disseret: diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab hora IX ad X cum dimidio.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Universitatis Adiunctus, diebus Martis et Jovis ab hora III ad IV Linguae Hebraicae praecepta tradet, explicabit Vateri V. Cl. Chrestomathiam, atque interpretationem libri Geneseos continuabit.

MICHAEL BOBROWSKI Phil. et Theol. Magister, diebus et horis serius designandis, quater per hebdomadam praelectiones S. Scripturae exegeticas habiturus, ita ut, generales de vatibus divinis observationes praemittendo, transitum faciat ad Novi Testamenti libros explanandos. In quos introductione absoluta, quatuor Evangelia simul enarrabit, iuxta eorum harmoniam, ad ordinem chronologicum compositam, ut unius Evangelistae interpretatio ad ceterorum intelligentiam sufficiat, et reliqua singulis propria, separatim explicanda relinquat. Quo facto, in Actis Apostolorum, Epistolis Paulinis et Catholicis, denique Joannis Apocalypsi, quae faciliora sunt, cursoria lectione percurret; difficiliores vero locos, idiotismos videlicet, tropos insolitos, emphases, pugnam locorum apparentem componere atque interpretari, perget, iuxta eum sensum, quem tenuit tenetque S. Mater Ecclesia, communemque consensum SS. Patrum, ac melioris notae interpretum, inprimis Estii et Calmeti, quos duces sequetur; et simul Joan. Georg. Rosenmüller scholia in litterali sensu investigando inque comparanda eruditione consulet.

IGNATIUS DANIŁOWICZ Jur. Civ. Magister, Jus civile patrium, diebus Lunae et Jovis ab hora IX ad X vernaculo sermone expositurus, praemissa brevi notitia auctorum et interpretum eiusdem Juris, aggredietur legum ipsarum explanationem, in qua ut ordinatim procedat, methodum ipsam Institutionum Justinianearum amplectetur. Hinc 1) de legibus in genere earumque obiectis; 2) de Personis ipsarumque iuribus; 3) de rerum divisione et de modis acquirendi ipsarum dominium; 4) demum de actionibus, seu de processu civili, ubi et de criminibus eorumque poenis, disseret, comparationem perpetuam inter Jus patrium et Romanum instituendo, ducibus Zalaszovio et Ostrovio.

JOACHIMUS LELEWEL, explanaturus Historiam Universalem quater per hebdomadam ab hora VI pomeridiana ad VII, primo ex opere suo typis nuper vulgato de artis Historicae quasi fundamentis disseret; de Critica historica, in qua veritatis historicae e fontibus ipsis hauriendae ac derivandae modi indicantur illustranturque; de Aetiologia historica, quae causarum et effectuum, e quibus pendeant res gestae et quo referantur, investigationem ac diiudicationem tradit; de Historiographia, cuius est docere, quomodo conscribenda sit historia. Deinde e proprio scripto Historiam Uni-

versalem ita enarrabit, ut, quaecumque eventa et res gestae ad statum civilem, ad res publicas populorum, eorumque culturam universam, maximam vim habuerint, ea temporum ordine servato breviter explicentur; rebus tamen ubique terrarum gestis, modo eatenus adhibitis, quoad cum iis, quae in Europa innotuerunt, arctiori vinculo copulentur. Auditoribus suis meliora opera historica commendaturus, ad facilius studium Tabulas chronologicas et geographicas adhibebit.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK Phil. D. Reg. Societ. Litt. Goeting. Corresp. Linguae et Litterarum Graecarum ac Romanarum Prof. P. O. Lunae, Martis, Jovis et Veneris diebus, hora X. antemer. Odysseae enarrationem, inde a quartodecimo libro, absolvet. Rhapsodiam, quae eiusdem carminis libros quatuor priores complectitur, die Saturni, eadem hora explicabit. Mercurii autem die, hora eadem, de Philologia sive Antiquitatis Scientia in universum eiusque partibus, tum separatim de Grammatica generaliore, ad utrumque sermonem applicata, de Critica et interpretandi arte, sive Hermeneutica, disseret, duce Füllebornio. In scholis latinis Horatii Epistolas et Ciceronis Brutum, sive de claris oratoribus libellum, qui, nuper Vilnae recusus, prostat in libraria academica, enarrabit quater per hebdom. h. II. pomer. Eadem hora, sed Merc. et Sat. diebus, ex antiquitatibus Romanis duo ultima capita, de religionibus et de vita domestica, ingenio et moribus Romanorum, exponet, ac deinceps litterarum Romanarum tradet historiam. Denique selectioris studiosorum coetus exercitationes philologicas, quum interpretandi veteres auctores, tum latine scribendi ac disputandi, quas hactenus binis per hebdom. horis moderatus est, ternis iam moderabitur.

JOANNES CZERNIAWSKI Phil. D. Linguae, et Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora XI ad XII tradet Linguam ac Litteraturam Rossicam hunc observaturus ordinem. 1) Disseret ad dictata sua de litterarum, artium ac doctrinarum in Imperio Rossico origine atque progressu. 2) Exponet praecepta ac indolem Linguae Rossicae, illustrabitque

ea exemplis tum ex scriptis autorum, tum ex usu petitis. 3) Expositis breviter aeque Poëseos ac Eloquentiae variorum generum praeceptis, recensebit clariores in quolibet genere Rossicos autores, nonnullorumque scripta aut universa, aut selecta ennarrabit. 4) Exercitationes accuratius addiscendae linguae Rossicae instituet.

JOSEPHUS SAUNDERS, Caesar. Acad. Art. Petrop. et Reg. Stockholm. Sodalis, Chalcographiae, Artium elegantiorum Litteraturae ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lunae et Veneris diebus ab hora V ad VII^{mae} dimidium, praemissa vocabulorum in artibus tradendis receptorum explicatione, Gallo-Francorum utens sermone, Artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persos, Etruscos, Graecos, Romanos; tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt, scholas diversas: porro Artium indolem atque fata in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispaniis, Anglia, Dania, Svecia, Polonia et Rossia persequetur; deinde singularum Artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae, vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit, quos politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis, omnino illae adferre putandae sint: postremo disseret de iis, quae in optimo ipsarum artium cultore desiderantur, deque vi, quam in easdem diversi coeli tractus exercent. 2) Martis et Jovis diebus itidem ab hora V. ad VII^{mae} dimidium, nunc Franco Gallorum, nunc Anglorum vicissim lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum persequetur, ac primo the History of England by David Hume, the History of Philip the third King of Spain by Robert Watson, the Theory of Moral Sentiments by Adam Smith, the History of Civil Society by Ferguson; deinde vero Deserted Village and Traveller by Goldsmith, Seasons by Thomson, Paradise lost by Milton, Macbeth and Hamlet by Shakespeare, explicabit. 3) Artis Chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matut. usque ad meridiem.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et Juris Utr. Doctor, Ordinis huius Decanus, Juris Civilis et Canonici, nec non Linguae et Litterarum Italicarum Prof. P. O. diebus Lunae et Veneris ab hora V. ad VI. loca selecta e poëmatibus epicis Torquati Tassi et Ludovici Areosti, Lyrica carmina Vincentii a Filicaja, atque Victorii Alfieri tragoediam, quae Virginia inscribitur, explanabit.

JOANNES PINABEL, a Cons. Aul. Linguae et Littera-

turae Gallo-Francorum Prof. P. E. eiusdem Linguae elementa et humaniores litteras docebit quater per hebdom. diebus et horis designandis.

JOANNES RUSTEM a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E. omnibus diebus per hebdomadem, ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, ad lampadis quoque lucem discipulos, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, formas ducere exercebit.

SIMON FELIX ZUKOWSKI Universitatis Adiunctus, diebus Mercurii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII, Grammatices Graeci sermonis expositioni subiunget interpretationem Chrestomathiae Jacobsii: praeterea Luciani libellum, qui inscribitur Cataplus sive Tyrannus, et Anthologiam Graecam a V. D. Jurkowskio nuperrime editam. Idem Archaeologiam Graecam, praecipue Atticam interpretabitur.

ANDREAS LEWICKI Phil. D. Universitatis Adiunctus, Aeneidis Virgilianae libros sex priores et Ciceronis Oratorem vernacula lingua explicabit, studiaque auditorum ad scribendi et selecta scriptorum latinorum loca in patrium sermonem accurate et eleganter transferendi, operam convertet regetque, diebus Martis, Jovis et Veneris hora I pomeridiana.

BENIAMIN HAUSTEIN Univers. Adiunctus, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora IV ad V Linguae Germanicae praecepta tradet, scriptorumque Germanorum, qui in quolibet solutae orationis genere excelluere, notitiam dabit. Idem diebus Mercurii et Vener. hora V ad VI elementa Linguae Anglicae docebit.

LEO BOROWSKI Aestetices elementa, nec non Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet Eschenburgio duce in libro: Entwurf einer Theorie und Litteratur der schönen Redekünste noviss. edit. quater per hebd. Mart. Merc. Jov. et Sat. diebus hora IV-V pomerid. Praemissa utriusque artis brevi historia, tum poëticae solutaeque orationis per diversa genera indolem atque vim e clarioribus antiqui et recentioris temporis scriptoribus indicaturus, vernaculorum auctorum rationem praecipue habebit. Practicis polonice scribendi exercitationibus studiosorum non deerit.

CASIMIRUS IELSKI Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia moderabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab horae XI. dimidio ad XII.

JOANNES DAVID HOLLAND Lun. Merc. et Vener. diebus h. III-IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet, doctrinamque de sonorum nu meris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris totis et dimi-

4

diatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III - V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski, Universitatis Adiuncti.